

Regalis clementiae gratiam perpetuo duximus largiendam, ut a Judicio & Jurisdictione Ducis Sclavoniae atque Bani, et quorumvis aliorum Judicum Regni nostri et Justitiariorum, praeter solummodo Regiae Majestatis, prorsus exempti et segregati habeantur, nec eosdem Judicio suo astare. Praeterea ut nec ipse Dux vel Banus, nec etiam Officiales quipiam nostri, vel ipsorum, collectas mardurinales, quas ipsis in resarcitionem et recompensam praefatarum eorum pecuniarum, ad honorem nostrum expositarum, perpetuo damus, in dicto comitatu ipsorum et Dominio taxare exigique et recipi debeant neque possint quovis modo. Ceterum etenim quid iisdem Dux seu Banus, aut ceteri quipiam Regni nostri Praelati, Barones et Justitiiarii, ne per eosdem hujusmodi libertatum praerogativa per nos eis gratiose in aevum facta videantur in aliquo eorum casu eis praejudicium generari, in eisdem Comitatu, Dominio et Possessionibus dictorum Baboneg, Stephani et haeredum ipsorum descendere, ac in eisdem generales congregationes celebrare, ullo temporis futuri in processu, quoquomodo debeant nec praesumant. Quae singula per vos, Ducem et Banum Sclavoniae, ac Praelatos et Barones, nec non officiales Regios atque vestros quoslibet, pro tempore habituros, edicto firmo regii mandati praecipientes mandamus inviolabiliter observare, custodire, atque observari facere in perpetuum. Ut igitur praescripti liberi Comitatus creationis, nec non praerogativarum gratia, per omnia successorum nostrorum tempora salva semper permaneant et inconcussa, nec per quempiam in irritum valeant retractari, in perpetuam firmitatem earum, praesentem concessimus paginam sigilli nostri munimine roboratam. Datum per manus magistri Ugrini aulae nostrae Cancellarii, anno ab Incarnatione ejusdem Salvatoris nostri M.CCXVIII. Venerabili Joanne Strigoniensi, Reverendo Bertholdo Colocensi, Archiepiscopis existentibus. Calano Quinqueecclesiarum, Desiderio Chonadiensi, Wilhelmo Vlttrasilvaniensi, Simone Waradiensi, Roberto Besprimiensi, Jacobo Wachiensis, Petro Geuriensi, Stephano Zagrabienis, Thoma Agriensi, Episcopis, Ecclesias feliciter gubernantibus. Jula Palatino, Bankone Bano, Dionysio Magistro Thavernicorum et Comite novi Castri, Ropoin Waywoda, Ochus Comite Curiae Reginae, caeterisque Comitibus Comitatus habentibus. Regni nostri anno Quarto decimo.

Walvasor. Ehre des Herzogthums Krain. Bd. XII. pag. 37. — Fejér. Codex Diplomaticus Regni Hungariae. T. III. pag. 245.

XLI.

Anno 1224. 9. Kal. Januarii.

Bela Rex junior, Croatiam et Dalmatiam auctoritate Regia gubernat, hocque nomine Jobbagionibus de Gorica terram Klokoc in confinio Banali sitam, donat.

In nomine sanctae Trinitatis et individuae unitatis. Bela Dei gratia rex, primogenitus regis Vngariae, vniversis, praesentem paginam inspecturis, salutem